

repudiavit suam partem expresse, quamvis tempore vite patris magnas summas pecuniarum eciam post tempus promocionis sue ad episcopatum habuerit de bonis paternis, que forte eciam secundum ius Saxonicum reportanda seu conferenda essent, si de sua parte hereditatis ageretur.

Item secundo de actis tempore seu circa tempora contracti matrimonii per Jacobum predictum et ab illo tempore usque ad tempus et tempore mortis dicti Jacobi est advertendum, quod tempore, quo Jacobus intendebat contrahere matrimonium, videlicet de anno domini millesimo CCCLX ipse instetit apud me, ut expresse sibi resignarem partem hereditatis mee; ego autem hoc nolens facere simpliciter sed sub certis modis motus consciencia de multis obligationibus et contractibus, quibus una cum capitulo consensum adhibui, feci ante omnia obligationes bonorum partis mee hereditatis si prout et in quantum de dictis bonis ad restitutionem essem astrictus, et super illis confecta fuerunt instrumenta et salvis illis obligationibus et protestacionibus et modis renunciavi seu resignavi Jacobo predicto partem hereditatis mee et de actis circa predicta omnia satis est expressum in scripturis et literis in libraria dominorum nostrorum reconditis. Dominus eciam meus Osnaburgensis bone memorie partem hereditatis sue eciam in litera sua, ut ipse Jacobus michi retulit, sibi resignavit simpliciter ut credo nullis eciam modis et condicionibus adiectis. Ipse eciam Jacobus cum Frederico eciam fratre nostro certos tractatus de parte sua habuit. Post predicta Jacobus predictus omnibus bonis paternis cum uxore sua, quam duxit, et bonis in dotem sibi datis utebatur tenendo tamen Fredericum et sororem sub et in expensis, ego autem de redditibus de bonis paternis nec a tempore dicti contracti matrimonii nec antea a tempore mortis patris recolo me quidquam percepisse, cuius non sit solucio per me facta. Tempore autem ordinacionis